



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra

Hevenesi, Gábor

Coloniæ, 1715

VD18 10988289

9. Januarij. Multò ardentius insistendum homini interiori domando, quàm corpori, & frangendis animi motibus, quàm ossibus. S. Ignat. apud Bart. I. 4. §. 12.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

gratia. Tu contra audentior ito. Victoriæ
 occasionem arripe, Triumpho materia est.
 Hæc fortitudo tua campum nacta est, quæ
 sine hoste in gloria latuisset.

9. Januarij.

*Multò ardentius insistendum homini in teo-
 riori domando, quàm corpori, & fran-
 gendis animi motibus, quàm ossibus.*
 S. Ignat. apud Bart. l. 4. §. 12.

I Neruditum vulgus, quod ultra corticem
 nihil videt, nec medullam attendit, ab
 externo, qui sub oculos cadit, rigore me-
 titur sanctitatem: quasi verò sub fune, sub
 tegete arrogans mens latere non possit.
 Quid juvat abstinere à carnibus, & famam
 alienam arrodere?

Quod Deo placet, internum est: exter-
 na, nisi vim ab interno accipiant, Deum
 non movent. Illa plus arrogantia habent,
 ista plus meriti. Cædes boum, vel cor-
 poris laniena, quid meretur? si passio vi-
 vat.

Satis corpori provides, si animo bene sit
 consultum. Non ex corpore bono bonus
 animus, sed ex bono animo bonum cor-
 pus.

pus redditur, Plurimum in corpus animus potest.

Illud bonum tibi cupio, quod mihi, nempe internum. Hoc sanè non vulgi opinio, non rigor apparens, sed animi ad rectæ rationis regulam compositi tranquillitas facit. Intus bonum habitat, frustra foris quæritur. Qui soldæ sunt virtutis, plus habent saburræ, quam veli.

10. Januarij.

Liberalis est Deus, è manibus illius accipio, que non invenio in manibus hominum, si nihil hi dederint, accepturus sum à Deo omnia, S. Ignat. vitæ l. 4. §. 23.

A Ngusta est hominum liberalitas, modicum est omne, quod habent, quod ipsum, si largiendo diviserint, minùs remanebit. Unicus Dei thesaurus inexhaustus est, plurima dando, nihil imminuitur. Huc ergo spes.

Spes nostras Deus vincit beneficiis. Solemus sperare plus, quàm possideamus, optare verò amplius, quàm speremus. Tot autem nobis beneficia pollicetur Deus, ut nemo minùs sperare possit, quàm optare.

Tot